

dem Ciuitate, vbi in exactione huiusmodi tributi plurima disconuenientia et frequenter orirentur, exigi facere incessanter, in preiudicium prescripte priuilegiatæ libertatis et antiquæ consuetudinis eorum valde magnum; et quia nos ipsam Ciuitatem nostram Tragurium in antiquis suis consuetudinibus et priuilegiatis libertatibus intendimus illibate conseruare, ideo fidelitati uestre firmiter Regio damus sub edicto, mandantes, quatenus a modo in antea et deinceps dictum tributum non in dicta Ciuitate nostra Tragurio, nec in pertinentijs seu districtu eiusdem, sed ibi in eodem loco, vbi ab antiquo exigi fuit consuetum, recipi, exigi et extorqueri facientes, eandem Ciuitatem nostram in antiquis suis consuetudinibus et priuilegiatis libertatibus illibate conseruando, ab huiusmodi vexationibus et inconuenientijs, quæ in exactione dicti tributi quoquo modo oriri possent, precauere et custodire debeatis, aliud pro nostra gratia non facturi; presentes denique perlectas semper reddi edicimus presentanti. Datum Bude feria tertia proxima post festum Sancte Dorotee Virginis et Martyris. Anno Domini Millesimo quadringentesimo duodecimo. Regni nostri Anno, Hungarie etc. vigesimo quinto, Romanorum vero secundo.

Lucius I. Memorie Istoriche di Tragurio p. 403.

CXXX.

Anno 1412. Kal. Novembris.

Sigismundus Rex Nicolao Vegliae Comiti possessionem Vegliae et minorum ad eam pertinentium insularum confirmat.

Sigismundus, dei gracia Romanorum Rex semper augustus, ac Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Marchio Brandenburgensis, nec non Bohemie et Lucenburgensis heres, vniuersis et singulis Christi fidelibus presentibus et futuris presencium noticiam habituris Salutem in salutis largitore. Ne transeant cum tempore, quæ in tempore aguntur, prouidencia adinuenit humana, vt rerum gestarum series sub litterarum testimonio perpetue memorie comendetur; proinde ad vniuersorum tam presencium quam futurorum noticiam harum serie volumus peruenire: Quod Magnificus vir dominus Nicolaus, Comes Vegle, Segne, Modrusce etc., ad nostre Maiestatis presenciam veniens, nobis porrexerit priuilegiales patentes litteras predecessorum nostrorum Regum Illustrum Hungarie, progenitorum nostrorum, supplicans exinde nostre Celsitudini humiliter ac deuote, ut eas litteras regales Juraque sua ac omnia in ipsis continencia sibi heredibusque suis here-